

dicti regulam in eodem Monasterio constitutus esse dinoscitur, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quacunque bona ibidem Monasterium in posterum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, *Wilbodeffon, Watervelde, Trevere, Alride, Ossenthorp, Hemelhusen, Rocethehusen, Northen, Wellethe, Ilrenhusen, item Northen, Histinche, Weterere, Hathesbatthessen, Volmarsen, Gunterfen, Adenen, Othehem, Honrothem, Overethe, curtem in Suthem, et decimam super eandem villam, Esnethe, Gheveburch, Limgo, Winnethe, decimam in Edessen, decimam in Hatheburgusen, decimam in Richersfen, decimam in Harderensfen, Sundram in Hornen, domum infra muros civitatis Patherburn, et quinque areas, et juxta civitatem tres mansos, et dimidium Sidechodeffen, Haren. Item in Alriden duos mansos, decimam omnium novalium nostrorum, et omnes decimas in terminis decimarum vestrarum. Cum autem generale interdictum fuit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Sepulturam quoque loci istius liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet Successorum nullus ibi qualibet sublecionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem Sorores communi consensu, vel pars consilii sanioris secundum Dei timorem et D. Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate, et diocesani Episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, et secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et à sacratissimo corpore ac sanguine Dei Redemptoris nostri *IESU Christi* aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri *IESU Christi*, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.*

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego